



Kem 3489 (1-15)

546

11  
SPECIMEN INAUGURALE  
DE  
FEBRE SCARLATINA.

---

QVOD  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA,  
PRO  
GRADV DOCTORIS  
MEDICINAE AC CHIRVURGIAE  
OBTINENDO,  
DIE II MART. MDCCXCIII  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI OFFERT  
EVSTACHIVS A KHITTEL,  
BOHEMVS,  
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI A CONSILIIIS  
AVLAE,  
CHIRVURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER,  
MEDICINAE LICENTIATVS, PHYSICVS KREMENECCENSIS  
ET  
SERENISSIMI PRINCIPIS HIERONYMI SAN-  
GVRZKO ARCHIATER.

---

HALAE,  
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII.

SPECIMEN INVADEAE  
DE  
FEBRE SCARLATINA

CONSTITUTAE  
IN REGIO BRUNNENSIS  
A  
G. A. H. D. O. C. T. O. R. I. S.  
MEDICINAE C. H. R. I. S. T. I. A. N. A. E.  
O. R. D. I. N. I. S.  
D. I. E. I. I. M. A. R. T. I. M. D. C. C. X. C. I. I. I.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. P. A. R. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.

INSTITUTIONE  
P. A. R. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S. I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. I. S.



§. I.

QVAEDAM NOTATV DIGNA AD FEBRIS  
SCARLATINAE COGNITIONEM IN  
GENERE PERTINENTIA.

**H**aec febris a coccineis, vel, vt medicorum verbis vtamur, scarlatinis pustulis seu exanthematibus nomen ducit; quod nomen medici Anglici huic morborum generi primum tribuisse dicuntur.

A veteribus de istius febris causa, sicuti de plurimarum febrium exanthematicarum causis, contenditur. Descriptiones febris scarlatinae, quas nobis reliquerunt, tam parum clarae atque perspicuae sunt, vt, quod febrium exanthematicarum genus in mente haberint, intelligi non possit. Quare adhuc sub iudice lis est, vtrum veteres hunc morbum iam satis cognouerint. Hoc solum patet, illum ante sec. XVI. nondum distincte et accurate explicatum fuisse. Primus, qui statui ejus investigando atque illustrando operam haud vulgarem dedit, fuit STORCHIVS (*Prak-*

A

tische

rische und theoretische Abhandlung vom Scharlachfieber. Gotha 1742. 8.) Quam plurimi scriptores, e. g. COLLINVS, ROSENSTEINVS aliique, corpori miasma quoddam hujus morbi inesse, affirmant. Interea tamen contagium istius nullum omnino probari potest; saepius quidem haec febris adparuit epidemica, nunquam autem contagiosa, haec enim febris species magnopere differunt a).

Febris scarlatina igitur non est contagiosa; nulloque jure demonstrari potest, homines illa semel tantum affici, ut scilicet D. WITHERING, in Commentariis Edimburgens. 1785. translatis, contendit. Tempore quidem autumnali, hyemali, initioque veris potissimum epidemica vagari solet, sed aliis quoque anni temporibus jam est conspecta b). Interdum etiam sporadica visa est. Dum vero quibusdam in regionibus quasi *dominans*, in aliis contra *nunquam* conspicitur. Sic ROSENSTEINVS (l. c.) hunc morbum per XXXVIII annos Vpsaliae et Holmiae semel, ZIEGLERVS per XXV annos bis tantumprehendisse narrant.

Inter-

a) I. CH. W. IVNCKER Allgemeine Heilkunde. 2. Band. p. 225. seq.

b) ROSENSTEIN von den Kinderkrankheiten, im 16. Abf.

Interdum febris epidemica adparuit sine exanthemate, vel tantum gignens pruritus, ardentem colorem ac cutis desquamationem; saepius quoque pruritus, calor ardens, cutisque desquamatio, nec tamen febris, nec exanthema cernebatur; interdum exanthema scarlatinum sine feбри adesse potest. Rarius vero angina sine feбри atque exanthemate est visa. Sola tamen angina, epidemiis grassantibus, non impedit, quo minus ipsa febris scarlatina inficiat corpora.

§. 2.

VARIAE HUIUS MORBI DIVISIONES.

Medicinae practico omnium scitu dignissima est illa divisio, qua nempe in duo dividitur stadia:

- I. In *stadium febrile*, si febris scarlatinae symptomata essentialia conspiciuntur;
- II. In *stadium hydropicum*, si nempe, cessantibus febris symptomatibus essentialibus, hydropica symptomata adcedunt.

Praeter hanc vero allatam febris scarlatinae partitionem, ut et ad alias, in genere ad febris naturam spectantes, divisiones medicinae practicus attendat, necesse est. Hic autem tutissime sane Cl. IVNCKERVM sequimur; illo autem auctore febris scarlatina esse potest vel

I. *Scarlatina benigna*, seu regularis morbus biliosus, catharrhalis, leviter inflammatorius, in quo naturae vires medicatrices, maloque superando pares, ad restituendam sanitatem permultum faciunt. Pauca hic certe supersunt remedia, quae ad vires naturae sustentandas medicus adplicabit.

II. *Scarlatina maligna* seu irregularis febris, semper, cujuscunque sit generis, gravior, anomalaque aegritudo, cui vitae sanitatisve futurae periculum inest; ad quam removendam medici auxilium, idque varium, maxime necessarium est, quamvis non raro frustra adhibetur.

Malignitatis hujus causae, quae sequuntur, febris species inveniuntur:

1. febris biliosa, (Lentin. Plenciz. Stoll.)
2. — — putrida c),
3. — — nervosa, (I. v. Plenciz.)
4. — — maxime inflammatoria,
5. — — plerumque complicata.

§. 3.

c) An Essay For a nosological, and a comparative view of the Cynanche maligna or putrid sore throat, and the Scarlatina cet, by W. L. PERCHINS, Lond, 1787.



## §. 3.

## DECURSUS MORBI.

Plerumque prodromi hunc morbum antecedunt, interdum vero etiam exanthemata subito, nullis omnino praecedentibus prodromis, erumpunt. Huc nempe refer: imbecillitatem et lassitudinem virium, horrores, frigus aut horripilationem, capitis dolores, affectus soporosos, vigiliam, nonnunquam etiam deliria, vomituritiones, vomitus ipsos frequentiores, lipothymiam, rarius diarrhoeam. Deglutitio, respiratio et loquela saepe violantur; aegroti inquietudine, anxietate, permagna siti, oculis humidis ac tumidis simulque rubentibus, rigore colli, pruritu cutis, etc. excruciantur. Tunc quidem exanthema ipsum, at non tempore certo, erumpit; jam enim primo, jam secundo, quin etiam tertio, minus saepe quinto, sexto ac septimo die adparet. Haud raro in toto corpore, saepius tamen in singulis partibus conspicitur. Exanthemata vel a partibus corporis superioribus ad inferiores, vel ab his ad illas procedunt. Bonum symptoma est, si exanthemata minus vehementer et copiose prorumpunt. Nonnunquam in vno eodemque loco diutius morantur; saepius tamen brevi desinunt atque recedunt.

Ipsa

Ipsa exanthemata maculis rubris, haud dissimilibus colori cocci, cancrorum coctorum aut cinnabaris, sese indicant. Ex quoque singulari nota characteristica cognoscuntur, quod nempe parum in superficie promineant, digitoque impresso cedant, illo autem remoto mox revertantur. In nonnullis aegrotis pustulae quaedam, ex illis maculis rubris exortae, miliique seminibus similes, erant conspicuae, quibus vero nihil inerat lymphae, quaeque ad febris scarlatinae naturam sive essentiam non pertinent.

Color exanthematum varius est; rubor eorum vel crescit, vel decrescit. Neque vero maculae istae in vno eodemque loco adparent; nec eadem magnitudine ac forma, qua morbilli sunt, reperiuntur. Plerumque, quod ad formam seu amplitudinem attinet, thalero Borussico similes, vel majores vel minores, conspiciuntur. Initio tantum huc et illuc dispersae, postea autem confluae videntur.

Symptoma maxime essentiale est inflammatio erysipelatodes et calor ardens in cute. Exanthema septem plerumque dies perdurat; remanet vero etiam vsque ad diem decimum quarrum, imo ad diem quadragesimum. Tumore, rubore atque dolore cutis cessante,  
exan-

exanthema quoque minuitur, quod quidem tali modo sese oculis subducit, quali adparuerat. Illud vero non tam efficitur desquamatione, quam decorticatione. In extremitatibus decorticatione haec imprimis, (affirmante STORCHIO,) in aliis autem partibus, imo in cornea, desquamatio conspicua est.

PLENCIZIVS (*Bemerkungen in den Wiener Beyträgen 2. Band*) narrat: sibi quosdam occurrisse casus, vbi, nec desquamatione nec decorticatione consequuta, mali tamen effectus omnino non exstiterint. Adparente benigno exanthemate, febris non raro primis jamjam diebus cedit, quum contra in malignis febribus exanthema non sine malis effectibus tollatur. Saepe accidit, vt oculi lippitudine laborent atque splendeant; at in hoc morbo luce minus offenduntur, indeque minus doloris sensu afficiuntur, quam in morbillis. — Nares carent adfluxu muci, alvusque obstructa est. Increscens febris crebro deliria gignit. Varias inflammationes, haemorrhagiae, capitisque dolores, symptomata plerumque non essentialia, interdum adveniunt. Ad essentialia autem notas imprimis referendi sunt affectus anginoidei, qui rarissime desunt. (SIMMS <sup>d)</sup> tamen p. 178, se nonnunquam febre

d) Memoirs of Medical Society of London 1789.  
Vol. I. 1787.

brem scarlatinam sine affectibus istis anginoideis animadvertisse, commemorat.) Praefertim isti affectus in adultis sunt conspecti, 1) in febre maligna, 2) loco ipsius exanthematis adparentes, quod quidem saepe accidit. Facies digitique simul intumescabant, cutisque erat sicca.

#### §. 4.

#### DE CAUSIS FEBRIS SCARLATINAE.

E tota hac narratione decursus istius morbi, eum simillimum esse erysipelati ac febris vrticatae, elucet, quam opinionem causis nunc exponendis firmabimus et certiore reddemus.

Recte hic tria genera causarum considerata sunt:

#### A. *Causae praedisponentes.*

Infantes, pueri, feminae molles, et valetudinarii, in quibus plerumque fibrae laxiores inveniuntur, imprimis ab hac febre opprimuntur. Autumni quidem ac veris tempore maxime vagari solet, omnibus tamen anni temporibus grassari viderunt auctores. Aër saepe mutatus, valdeque humidus ad causas praedisponentes quoque referendus est.

B.

B. *Causae occasionales;*

quibus adnumerandae sunt:

- 1) Causae, nobis hucusque minus notae, quibus epidemiae producuntur: aër nempe, vitae ratio et nutrimenta, quibus incolae variarum regionum vtuntur.
- 2) Acrimonia quaedam volatilis, nervis potissimum inimica, cutemque faucesque afficiens, quae corpori vel jam inest, vel modo in eo gignitur.

Quodsi haec acrimonia

- α) aut simplex, aut levis, aut benigna est, febris simplex inde progreditur.

Quodsi autem

- β) maligna est et gravior, variae tunc species febris, vt febris inflammatoria, gastrica, putrida, nervosa etc. inde procreantur.

NOTA:

Hoc loco febris putrida videtur nobis secundaria, atque ex febre gastrica esse pronata, quum saepe purpuram rubram loco scarlatini exanthematis oriri videamus.

3) Irri-

- 3) Irritamenta abdominalia, vermes, sordes primarum viarum, polycholia et alia hujusmodi mala.
- 4) Phlogosis, turgor inflammatorius etc.
- 5) In summa, omnes causae, quibus metastasis acrimoniae versus cutem aut aliud organon excretorium propellitur.

C. *Causae therapeuticae:*

1. Sordes primarum viarum.
2. Suppressa diapnoë, quae varias acrimonias nascitur.
3. Causae sanandae febris inflammatoriae.
4. - - - - - gastricae.
5. - - - - - putridae.
6. - - - - - nervosae.
7. Plerumque species istae febris non purae, sed mixtae reperiuntur; e. c. febris putrida et nervosa, febris inflammatoria et putrida, saepissime febris catharralis - biliosa. (CVLLEN.) e)

NOTA:

Causa proxima hoc loco fere talis est, qualis in aliis saepe morbis videtur; quamque igno-

e) Anfangsgründe der praktischen Arzneykunst.  
Leipzig 1789. p. 99.

ignoramus, neque pratico, illam novisse,  
multum interest.

§. 5.

EXITVS FEBRIS SCARLATINAE.

Solutio febris scarlatinae vario modo efficitur:

1. Omnes exitus morborum inflammatoriorum hic quoque deprehenduntur locumque habent.

Narium haemorrhagia saepe critica oriebatur, adeo in infantibus. (v. ROSENSTEIN. l. c.)

2. Excretio primarum viarum, e. g. diarrhoea, vomitus etc. saepissime consequitur.

3. Diapnoë cutanea aut sudores salubres; quos vero diaphoreticis calidis excitare non licet. Sudores isti rarius in initio quam in declinatione morbi sunt critici. STORCHIVS AC ROSENSTEINVS in morbis infantium et puerperarum criticos esse observarunt.

4. Metastases.

α. Exanthema scarlat. ipsum, quamvis non semper, saepius tamen morbum leviolem reddidit;

β. in-

- β. interdum etiam petechiae;  
 γ. tumores parotidum. Sanatio, inde  
 existens, lente tantum consequitur;  
 δ. interdum ichorosus sanguineus ex au-  
 ribus effluxus;  
 ε. abscessusque nonnullis corporis par-  
 tibus.  
 5. Febres lentae.  
 6. Vitia pectoris.  
 7. Exostoses.  
 8. Catharrhus suffocativus, inflammatio,  
 sphacelus, mors apoplectica.

## §. 6.

## DE STADIO HYDROPICO.

Non omnes aegroti, magnus tamen eo-  
 rum numerus, hoc stadium experiuntur. In-  
 terdum hic status iam initio morbi, saepius  
 autem post II vel III dies, imo spatio quo-  
 rumdam hebdomadam praeterlapso, adparet.  
 Quamvis aegri hoc tempore plerumque male  
 se habent, viribusque destituti s. valetudinarii  
 sunt; hic tamen etiam exceptiones dantur.  
 Sunt enim, qui, licet aegroti, sanorum spe-  
 ciem prae se ferunt.

Hunc statum accessurum esse, variis cog-  
 noscimus symptomatibus.

Aegro-



Aegroti languidi, debilitati, morosi aut lenti sunt. Quibuscum symptomatibus saepe arctissime cohaerent affectus anginoidei, appetitus prostratus, faciei pallor, excrementa albida et pultacea, vrina pauca, rubra, turbida, crassa, sedimentosa, interdum livida, subfusa, sanguinea, f) vel carnis aquae similis. Non raro etiam lotium in excretionem ardet. Aegrotus in quocunque corporis motu horrores, horripilationes, et vespertino tempore nonnunquam febrem sentit. Tunc quidem tumor in facie, in pedibus, in scroto etc. et in nonnullis aegrotis totum corpus hoc tumore obductum conspicitur, quo cutis ita distenditur, ut fere tota dilacerata et rimarum plena adpareat. Tument quoque partes internae, ut pectus, inde respiratio anhelosa, crebra suspiria et inquietudo; tumet cerebrum, indeque lethargus oritur; tumet quoque cavum abdominis, indeque ascites etc. nascuntur.

Non.

f) Vrina sanguinea minime est periculosa aut lethalis, quamquam saepissime observata: sicut etiam narium haemorrhagia sudoresque sanguinei mortem annunciare non possunt. (PLENCIZIVS.)

Nonnunquam tamen tumor pedum ac faciei disparuit sine omni effectu, tumores hydropici saepe eodem ordine, quo maculae, erumpunt, septemque dies, imo III hebdom. vsque ad VI. remanent.

§. 7.

DE CAUSIS STADII HYDROPICI.

Causam hujus periodi, nil, nisi transpirationem Santorianam summo gradu suppressam, esse posse, haec, quae sequuntur, demonstrent atque probent.

1. Quo plura exanthemata cum desquamatione cutis conspiciuntur, eo magis hocce, quod narraui, stadium hydropicum adparet, quia propter magnam cutis sensibilitatem refrigerium celerius contrahitur.
2. In nullo aegroto, contra refrigerium et internum et externum bene conservato, stadium hoc cernitur.

NOTA:

Hac de refrigerio interno stabilita sententia Cl. Haenii objectioni occurrere cupimus, qui tumorem illum, licet omnis cura et cautio adhibita fuerit, nihilominus animadvertisse contendit. Hic vero minime ad diaeteticum refrigerium, sed ad internas aegritudinis causas

causas respiciendum est. Omnia ergo, quibus spasmus partium internarum efficitur, et refrigerium internum producere possunt, e. g. spasmi eorumque causae variae, plethora etc. Ex quo simul adparet causa, cur tumor in epidemiis nonnullis saepius, quam in aliis, conspicitur.

3. Stadium hydropicum plerumque consequebatur in febribus scarlatinis malignis, rarius in febre benigna, aegris contra refrigerium conservatis.

4. Infantes hoc stadio saepius afficiebantur adultis, quippe qui refrigerium cautiùs, illis, prohibere solent. — Hyemis tempestate multo saepius, quam in aestate observabatur, praesertim in his, qui nimis mature atque incaute aëri sese exposuerant g).

### §. 8.

#### DIVISIONES HUIUS STADII.

Tumorum, quos diximus, hydropicorum divisio magni momenti est et practicae utilitatis, si nempe dividuntur in

1. Stadium calidum et

2. — — — frigidum.

Quod

g) SCHOENMÉZEL diss. de Scarlatina ann. 1775 et 1777. epid. graff. Heidelberg. 1779.

Quod ad primum horum stadiorum attinet, tumor in eo durus, valde ardens digitoque impresso non cedens; pulsus durus, celer, febrilis; respiratio anhelosa; lingua sicca; sitis magna; vrina rubra, vel pauca, vel etiam nulla, reperiuntur.

In secundo stadio cutis est mollis, frigida, digitique impressi vestigium accipit; totum corpus debilitatum atque languidum, pulsus autem parvus, debilis et non febrilis est.

§. 9.

EXITVS STADII HYDROPICI.

Vnaquaeque excretio serosa hanc aegritudinem tollit, repentina autem crisis non nisi frequentes vrinae excretiones, atque deinde sudoris secretionem sequitur. Sudor autem solus haud saepe est criticus. Quodsi autem nulla ejusmodi excretio sequitur, tunc quidem erysipelas, convulsiones, gangraena, sphacelus, aliaque mortem praesagientia symptomata oriuntur.

§. 10.

DE PROGnosi.

Saepe morbus adeo levis ac benignus est, vt fere nunquam aegroti in lecto teneantur.

tur. Interea majorem vel minorem aegrorum sensibilitatem nunquam spernamus aut negligamus; dum enim alter aegritudinem nondum animadvertit, alter jam a morte sese arreptum putat. Quodsi igitur morbus minus gravis est, spatio VII dierum aeger sanabitur.

Tunc quidem exanthema, eruptione ejus sensim facta, parvum modo adparet, febrisque lenis est.

Periculum hujus morbi semper exoritur febribus, ipsi conjunctis; ratione igitur prognosis hoc loco omnia ea valent, quae e pyretologia constant.

Ad mala omina referuntur:

1. Symptomata congestionis versus caput, quibus vertiginem, graves affectus soporosos, lethargum aut somni defectum, deliria furiosa, sternutationem vehementem ac molestam, graves capitis dolores, lipothymias etc. addas.
2. Vehemens atque continua febris, magna inquietudine, siti inextinguibili, permulto sudore, anhelosa respiratione, tumidis et rubentibus oculis, ariditate cutis, aliisque malis comitata.

B

3. Do-

3. Dolor, vel alicubi fixus, vel in quadam parte vagus sine tumore atque inflammatione etc.
4. Pertinax tenesmus et ischuria.
5. Conatus ad vomitum s. vomitus ipsi sine levamine.
6. Inflammationes internae, cujuscunque generis, ad quas etiam vehemens angina inflammatoria referenda est.
7. Perpetua plurimorum malorum, omnibus jamjam eruptis exanthematibus, duratio; statusque ipsorum atque color saepe mutatus variusve.
8. Eruptio macularum nimis repente et immature, aut nimis sero (post III<sup>ium</sup> et IV<sup>tum</sup> diem), nec minus nimis copiose facta.
9. Si vniversa cutis primis jam diebus erysipelate obducta est, valde turget et ardet. Rubor exanthematum interdum non mutatur, digitique impressi vestigium nullum accipitur.
10. Si tumor erysipelatodes et exanthemata longe remanent.
11. Pessimum omen est exanthematis recessio, illamque semper malos sequi effectus  
ex-

experientia docet. Inprimis autem phrenitis, die VII<sup>mo</sup>, VIII<sup>o</sup> atque XI<sup>mo</sup> exorta, mortem plerumque aliquot horis praeterlapsis appropinquaturam, aegrotis adnunciat.

Magis quam pueri, quorum nempe cutis laxior est, adulti feбри scarlatina excruciantur; interea complicationes, ex dentitione difficili, aut vermibus natae, haud negligendae sunt. Stadium hydropicum semper periculosum habendum est; tunc vero maxime, si aqua sese accumulat iis in cavis, quae partes ad vitam necessarias continent; sicuti etiam convulsiones, sphaelus, nigri foetidique vomitus in stadio hydropico pessima sunt habenda.

Post crises imperfectas febris nova, magno ardore, variis metastasibus, articulorum doloribus, vlceribus, tussi etc. comitata, exoritur. Imo nonnulli visu audituque privabantur, ut ZIEGLERVS <sup>h)</sup> in puero VII annorum observasse affirmat, simulque, miasmate ad capitis ejus partes interiores reverso, saniem quamdam viridem atque putridam e naribus effluxisse, auriq; dextrae ichorem albescentem, lacti coagulato similem, insuisse, narrat.

B 2

§. II.

h) Beobachtungen p. 93.

## DE FEBRIS SCARL. CVRATIONE.

Quia jam elucet, hunc morbum duas efficere periodos, nostrum est, vt curationem illis idoneam, et hoc quidem modo, instituamus:

- I. Febrem, huicque conjuncta symptomata, tollere; deince
- II. secundum quoque stadium aut symptomata hydropica medicamentis maxime idoneis remove, studeamus.

In prioris quidem periodi febre curanda necesse est, vt ad

1. febris characterem,
2. liberam transpirationem Santorianam,
3. symptomata ipsa, vt anginam, vermes, odontalgiam etc. respiciamus.

In febrile levi nil necessarium est, nisi vt aegrotis, simulac prodromos sentiunt, emeticum praebetur, contra aërem frigidum humidumque tegantur, iisque, vt cibo medicriter tantum atque temperanter, potu autem eo frequentius largiusve fruantur, mandetur. Matutino tempore aegrotus, vt transpi-  
ra-



rationem adjuvet, Theae quaedam vascula, five poculum, aquae frigidae succoque citri acido mixtae plenum, exhauriat. Nunquam enim diapnoen diaphoreticis calidis promovere licet. Tempestate serena viribusque nondum exhaustis, curandum est, vt meridiei tempore cum familiaribus aegrotus paulisper ambulet. Ab aëre autem vespertino vel matutino arceatur; et, exanthematibus conspectis, conclave, semper aëre puro atque calido repletum, relinquere, aegro non permittatur.

In hoc flatu angina plerumque levis est, aegrotusque infriictione linimenti volatilis; involutione colli laneo panno aut linteo cereo; gargarismatibus e cerasis nigris, vna cum nucleis contusis, aqua coctis ac parva portione oxymellis squillitici commistis, praeparatis; iniectione hujus decocti per siphonem, (quae in fine canalis non vna sed pluribus aperturis, ad formam vadis futorii, (*einer Gießkanne*) instructa est); vsu tandem LOEFFLERIANI, parvulis cochlearibus sumpti, medicamenti, ex vnc. j. spir. Mindereri et dr.: j. salis ammoniaci commixti, restaurabitur.

Alvum enematis emollientibus et antispasmodicis, laxantibusque antiphlogisticis cum dia-

diaphoreticis lenioribus immixtis, apertam  
 serves. Plebs Poloniae in hoc morbo variis  
 medicamentis, sudores excitantibus, vitur,  
 iisque sanatur.

Pars cultior populi plurimique medico-  
 rum nostrorum non sine effectu hac methodo  
 quoque vsi sunt. Simulac febris indicia ade-  
 rant, *emeticum*, postea vero tempore matu-  
 rino ex Halensibus medicamentis i) *pulverem*  
*vitam* cum 15-20 guttis *ess. dulcis* dederunt,  
 quibus, ut aegroti leniter transpirarent, effe-  
 cerunt. Ante meridiem nonnulla cochlearia  
*tincturae rhei aquosae* vel *salis tartari* vel etiam  
*tartari tartarissati*, secundum varium aegroto-  
 rum statum; pomeridiano autem tempore has-  
 ce praebebant potiones:

℞. aquae ceraforum nigr:

— — — Sambuci  $\overset{\text{aa}}{\text{aa}}$  Unc: jj.

Tinctur: papav. rhoad: unc. sem.

Spirit: Vitriol: conc: gt. Xjj.

Syrup: papav: rhoad: unc: sem:

M. D. S.

qualibet hora cochlear horum plenum su-  
 matur.

Ene-

i) BOEHMER et EHRLICH diss. de febre scarlati-  
 na. Halae 1. 64.

Enematibus emollientibus alvum apertam servabant. Affectibus anginoideis cololum calefaciendo, gargarizando cum vrina scilicet quodam, e floribus Malvae, Salvia ex Sambuc: partibus anaticis cum oxymello simplici aut melle rosarum mixtis, remedio praeparato, occurrebant.

Quibus datis remediis, affectibus autem anginoideis nondum oppressis, vesicatoria ad furas et ad nucham magno effectu adhibebant. Ceterum, ut satis longum tempus in conclavi maneant, maneque *pulveribus vitalibus*, Halae inventis, cum *ess. dulci* utantur, eo consilio, ut transpiratio promoveatur, aegris praecipiebant.

Quodsi autem febris scarlatina minus levis est, ejusque status febris inflammatoria, vel biliosa, aut putrida, vel denique nervosa complicatur, tunc cuilibet febrium istarum generi secundum regulas artis medeamur, necesse est. Ne autem, omnes sanandi methodos explicans, dissertationis fines transgrediar, nunc ad paucas tantum regulas generales, ad quas medicus in vnaquaque complicatione sanandi methodum aptet, constituendas, me adcingam.

I. Scar-



1. *Scarlatina cum febre inflammatoria.*

Hic quidem tota methodus antiphlogistica adhibenda, nunquam vero diapnoe cutanea est negligenda. Quodsi phrenitidis quaedam symptomata conspiciantur, tunc venae sectiones, hirudines ad tempora et collum, cucurbitulae in nuchae regione, vesicatoria etc. adplicentur.

Infantes in complicationibus febris odontalgia inflammatoria saepe afficiuntur.

Hic quaedam hirudines, pone aures adplicatae, magno sunt effectu.

Affectus anginoidei in hoc morbo maxime medicum occupant.

Quapropter venae sectiones, inprimis venae jugularis, hirudines ad jugulum, scarificationes faucium, sinapismi et vesicatorii, vsque dum cutis rubet, ad collum adplicatio, cataplasmata, embrocationes, gargarismata, injectiones recte adhibitae, magnam sane vtilitatem afferunt.

2. *Scar-*

2. *Scarlatina cum febre gastrica seu biliosa.*

Methodus antigastrica adhibenda, illique methodus diaphoretica hoc loco apte est connectenda.

Observatur nonnunquam vomitus symptomaticus, haud raro emeticis, refractis dosibus datis, tollendus. Infusum florum chamomillae vulg. saepe ad sedandum hunc vomitum sufficit. Nisi emetici usum diarrhoea sequitur, laxantia antiphlogistica leniora sunt adhibenda, illaque propter ventriculi sensibilitatem anodynis miscenda. Affectibus anginoideis secundum earum indicationes proprias est medendum.

3. *Scarlatina cum febre putrida.*

Methodus antiseptica hic plane adplicanda est. Hoc in morbo usus corticis Chinae, cui a Cl. ab HAENIO<sup>k)</sup> vis specifica tribuitur, locum habet.

Affectus anginoidei secundum indicationes anginae putridae<sup>l)</sup> tractantur.

4. *Scar-*

k) Rat. Med. Tom. I,

l) Sammlungen auserles. Abhandl. zum Geb. für prakt. Aerzte. 5 Band. 2 St. Leipzig 1772. p. 340. 3 St. S. 457.

ZVRSERII Hist. med. pract. Vol. III. Lips. 1787. p. 388.

4. *Scarlatina cum febre nervosa.*

Vt vitae exciter vires <sup>m)</sup>, ante omnia  
 medicus curet.

Rarissime tantum haec febris species  
 in scarlatina simplices, semper fere mix-  
 tae, occurrunt. Explorare, quaenam  
 febris in vnoquoque morbo praevaleat  
 atque dominetur; illique tunc praeveni-  
 re, medici est. Tali modo saepissime  
 febrem inflammatoriam cum gastrica con-  
 junctam reperimus. Male certe aegrotum  
 tractaremus, si ejus enteritidem emetico-  
 rum ope curandam esse putaremus. Hoc  
 in casu medicus omne ingenii acumen ad-  
 hibeat, necesse est. In nulla autem com-  
 plicatione febris diapnoe cutanea negli-  
 genda. Remota febre, vt inde exortam  
 debilitatem roborantibus lenioribus tol-  
 lamus, omnesque tam secretiones quam  
 excretiones sufficienter adjuvemus, ae-  
 grotoque, vt saltem per XIV dies con-  
 clave haud relinquat, suadeamus, re-  
 quiritur.

## §. 12.

## D E D I A E T A.

Diaeta ita instituenda est, vt febris cha-  
 racteri respondeat. Aër purus sit simulque  
 cali-

m) *VOGELS Handbuch etc. Stendal 1785. 2 Th.*  
 p. 1—42.


calidus; potionibus dilutionibus diapnoe promoteatur. Frictiones toto corpori adplicentur. Parum modo nutrimenti, cibosque faciles concoctu, aegrotus capiat; diaeteticis medicamentis omnes secretiones et excretiones augeat.

§. 13.

DE CURATIONE PRAESERVATORIA  
STADII HYDROPICI.

Quia hoc stadium aegrotis saepissime est lethiferum, tanto magis, ut morti omnem curam atque operam opponat, medici est. Qua de causa curet:

1. ut aegrotus per XIV dies aut III hebdomata, febris peracta, in calido aëre conclavis commoretur;
2. ut lenioribus laxantibus, roborantibusque, nec non frictionibus, vestimentis calidis etc. vti pergat;
3. ut modice comedat;
4. ut remediis diaeteticis omnes tam secretiones quam excretiones, praesertim urinae ac diapnoes cutaneae, augere studeat.


 §. 14.


## DE CVRATIONE STADII HYDROPICI.

Quodsi autem forsan accidat, vt. neglectis illis, antea commemoratis. praeservationis regulis, stadium hydropicum adparuerit, medicus, vt omnes tumores hydropicos secundum eorum indicationes removeat, praecipue spectet.

## §. 15.

## DE CVRATIONE QVORVMDAM SYMPTOMATVM.

Ad symptomata, quae plerumque febrem scarlatinam extra stadium hydropicum sequuntur, referas: dolores rheumaticos, glandularum tumores, vlcera etc. quibus omnibus secundum artis regulas medendum est.






10/18

Pica





D.  
12/10



11  
SPECIMEN INAVGVRALE  
DE  
FEBRE SCARLATINA.

QVOD  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA,  
PRO  
GRADV DOCTORIS  
MEDICINAE AC CHIRVrgIAE  
OBTINENDO,  
DIE II MART. MDCCXCIII  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI OFFERT  
EVSTACHIVS A KHITTEL,  
BOHEMVS,  
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI A CONSILIIIS  
AVLAE,  
CHIRVrgIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER,  
MEDICINAE LICENTIATVS, PHYSICVS KREMENESENSIS  
ET  
SERENISSIMI PRINCIPIS HIERONYMI SAN-  
GVZKO ARCHIATER.

HALAE,  
TYPIS IO. CHRISTIAN. HENDELII.

